Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1455
Quelle:
Copyright:

ni Anglie. Initium: *Protestor publice, ut sepe alias* &c. ut alibi.

IX. *fol.* 205. p. 2. *Sermo pulcer.* In illud: *Dominus vobiscum. Ruth.* 2. Initium: *Secundum philosophos finis actus* &c. Non reperi apud Bibliographos.

X. *fol.* 206. p. 2. *Exhortatio noui doctoris.* In illud: *Labora sicut bonus miles christi ihesu. 2. Tim.* 6. Initium: *Post fructum benedictionis sequi debet Thema laudationis* &c. Nexus est igitur hic *Sermo* cum praecedente, habitique videntur simul in Cujusdam promotione ad gradum Doctoris Theologi. A *Baleo* vel *Tannero* non indicantur.

XI. *fol.* 207. p. 2. Breviuscula quaedam, quae junctim referam: 1.) *Epistola ad simplices sacerdotes.* Init. *Videtur meritorium* &c. ut alibi. 2.) *Quatuor interpretaciones.* Init. *Quod Clerus regni Anglie secundum ordinacionem* &c. ut alibi. 3.) *De Fundatore religionis.* Init. *Salvator noster diligens vnitatem religionis* &c. Contra Ordines Religiosorum. 4.) *Dubium.* Init. *Nemo peccat in spiritum sanctum ad sensum euangelij* &c. De peccato in spiritum sanctum. ut alibi. 5.) *De mendacijs fratrum.* Init. *Pseudo fratres publicant* &c. *Codex alius* habet *replicant.* 6.) *Epistola ad linconiensem.* Init. *Humilis christi servus* &c. ut alibi. Num. 3. apud Bibliographos non reperio.

XII. *fol.* 208. p. 2. *Incipit tractatus de 7. donis spiritus sancti.* Initium: *Cum spiritus sanctus sit tertia persona trinitatis* &c.

XIII. *fol.* 212. *De citationibus*, ut in calce, *friuolis.* Initium: *Si papa uel eius vicarius citaret virum legium* (ligium, loyal) *vt compareat coram eo personaliter loco et tempore, que ipse voluit limitare* &c. Non repertum.

XIV. *fol.* 215. *De gradibus ordinis.* Initium: *Quidam scolaris probus zelator veritatis fidei christiane petit* &c. Non repertum.

XV. *fol. eod.* p. 2. *De condempnacione 19. conclusionum.* Initium: *Cum secundum Apostolum Hebr. 11. Fides sit fundamentum* &c. ut alibi. Extant Conclusiones hae damnatae a *Gregorio* XI. a. 1377. T. XI. P. 2. *col.* 2041. edit. *Concc. Labb. Paris.*

XVI. *fol.* 217. p. 2. *De dissensionibus Paparum.* Initium: *Quia ista monstrosa dissensio inter papas videtur significare tempora periculosa* &c. Breviusculum et *Tannero* inscriptum: *De Schismate.*

XVII. *fol.* 218. *Strode 18.* (Bal. et Tann. 14.) *Argumenta.* Nempe impugnata. Initium: *Quia secundum philosophum sanctum est philosopho nominare veritatem* &c. Ad calcem: *Explicit responsio Magistri Johannis ad 18. argumenta Strode.* Addit laetus Librarius bohemice: *Haba namnychy!* i. e. *Euge, in Monachos!* Erat *Radulphus Strodus Scotus* Sodalis Dominicanus, de quo plura Bibliothecarii Ord. T. I.